

querelam inofficiosi testamenti contra testamentum fratris in tribus casibus.

14 Tertio, quod contra necessarium heredem institutum, quanquam sit utilis persona, non datur inofficiosi testamenti querela, quæ etiam non datur in aliis casibus, etsi persona turpis, aut inhonesta sit instituta, de quibus ad limitationem superioris doctrinæ, & etiam pro ampliatione ipsius est videndus omnino Jason in d. l. fratres, Curtius & Cagnolus in d. l. i. ff. de inofficioso testamento, plenè Ant. Gomezium tom. 1. variar. d. c. 11. num. 37. 38. & 39. Menchaca de successio- num creatione, lib. 1. §. 10. ex num. 565. usque ad nu. 609. Quibus prælectis, & legibus Partitæ supra, in initio relatis, omnes ferè hujus materiæ ampliationes, & limitationes scire poteris. Et hæc de prædictis, quæ sunt notanda ad text. in d. l. i. ff. de inofficioso testamento, nec erant antea sic distinctè explicata.

Nunc verò, & secundo loco constituendum est, in proposito hujus Capituli dubium maximum esse, & licet ab infinitis mille in locis tractatum, nondum tamen, ut arbitror, absolute, aut distinctè satis explicatum, an

15 cum frater à fratre præteritus, vel exheredatus, testamentum impugnet, quia in eo fuit instituta turpis persona, in totum rescindi debeat testamentum, vel tantum usque ad Legitimam: Et quid si frater aliquid in testamento reliquisset fratri: Quid etiam, si totam integram Legitimam ei reliquisset? Et quidem Guill. de

16 Cun. in d. l. fratres, C. de inoff. test. n. 4. indistinctè asserit, quod instituta turpi personæ, non solum si frater omnino præteritus fuerit, vel exheredatus, aut etiam si aliquid ei in testamento relictum fuerit, verum etiam si totam integram Legitimam ei reliquisset, frater querere possit testamentum in totum, & advocare totam hæreditatem, & Guill. sequaces plures referunt Anton. Galeatius Malvassia in cons. 24. num. 63. lib. 1. Joannes Vincentius Honded. in cons. 47. num. 32. lib. 2. Anton. Theaurus decis. Pedemontana, 128. num. 12. Grassus §. testamentum, quest. 46. num. 4. Hieronymus de Cævallos practicarum communium, quest. 566. in princip. & sequitur Antonius Gomezium tom. 1. variar. d. c. 11. num. 37. in vers. Quanto intellige, & versic. Sexto intellige: quo loco secure affirmat, testamentum in totum rumpi, etiam si frater instituat fratrem in Legitima, quæ est quarta pars bonorum, si in residuo turpem personam instituerit.

Fundamenta autem hujus partis ex communi omnium Doctorum placito adduxerunt Jason in d. l. fratres, num. 2. Rodericus Suarez in d. l. quoniam in prioribus, in princ. num. 12. in vers. sed Guillielmus Cævallos, d. c. qu. 566. in princip. latius Antonius Galeatius Malvassia in cons. 24. ex num. 31. ubi firmiter asserit, testamentum fratris turpi personæ institutæ, in totum expugnari, id est, ut in universam ejus substantiam succedat frater, & non solum quando nihil, aut minus portione legitimæ relictum fuit, sed etsi plena, & integra Quarta relictæ fuerit, & non quoad institutionem tantum, sed etiam quoad cætera in eo relictæ: & idem prosequitur ex n. 69. cum segg. n. 67. 64. 65. & 66. quo loco fundamentis contrariæ partis, de qua mentio fiet statim, sic eleganter, & ut prima facie videtur, concludenter adeo satisfacit, ut nihil ultra desiderari possit, nec alibi inveniri locus, quo sic possit Guill. sententia defendi. Pro qua considerandum erit, non mediocriter videri urgere l. 12. tit. 7. part. 6. ubi indistinctè dicitur, quod institutæ turpi personæ per fratrem, institutio hæredis non valet, & potest frater testamentum subvertere, & hæreditatem consequi; id quod non advertunt recentiores hujus Regni Scriptores, solum Gregor. Lopez considerat videtur ibidem, verbo, la heredad, in hunc modum dicens: Approbatur hic opinio Guilliel. relati à Paul. de Casp. in d. c. leg. fratres, ut non solum revocetur testamentum per querelam, quoad Legitimam fratri debitam, sed etiam quoad omnia bona; & idem tenet Bartol. seu ille, cuius est illa lectura in Authent. de hæredibus, & Pal-

17

18

cidia, in princ. collatione 3. per l. Paconius ff. si quis à parente fuerit manumissus, in princip. Verè tamen dicit l. Regia partit. indistinctè accipi non potest, sed in uno duntaxat casu urget, ut notabitur infra.

Contrariam autem sententiam, imò quod frater duntaxat agere possit ad supplementum, cum instituta turpi personæ, aliquid sibi relictum est, aut nullo modo agere, si integra Legitima sibi relictæ fuerit, defendunt Angelus, Alexander, Afflictis, Curtius junior, Cagnolus, Parisius, Fabian. de Guioch. Gabriel Eugub. Ancharanus, & alij, cum quibus sic firmiter amplectitur Anton. Theaurus decis. 128. num. 11. & 12. ubi dicit, quod ipse credit hanc opinionem veriore, per textum clarissimum, & nullam cavillationem admittentem in l. omni modo, C. de inofficioso testamento, quicquid contra eum text. aucter, & subtiliter magis, quam verè, Decius, & alij scripserint, eandem sententiam secure admittit Rodericus Suarez in d. l. quoniam in prioribus, n. 12. fol. 4. dicens sic tenuisse Accursium in d. l. omni modo, & respondens fundamentis Guilliel. & sequacium, Menchaca de successio- num creatione, lib. 1. §. 10. nu. 589. ubi dicit veram esse communem opinionem contra Paulum, & Guilliel. sed tunc neutram partem firmans propter textum in d. leg. Paconius, ff. si quis à parente fuerit manumissus, & num. 601. ubi fatetur, quod si fratri integra Legitima relictæ fuerit, tunc etiam contra turpem personam querelam movere non possit; quod tamen cogitandum reliquerat antea n. 590. ibidem. Michaël Grassus §. testamentum, quest. 46. n. 4. ubi sententiam Glossæ in d. c. leg. omni modo, longè veriore putat contra Guill. nec licere super hoc disputare, cum habeamus casum legis expressum in d. l. omni modo, & refert Anton. Cucchum, & Emman. Suar. idem tenentes, Antonius Pichardus in §. soror, Instit. de inofficioso testamento, num. 88. ubi hanc opinionem veriore, & communiorrem vocat, & dicit probari per text. expressum in authent. de hæredibus & falcidia, §. 1. collatione 1. ubi dicitur, eodem modo deberi Legitimam fratribus, turpi personæ hærede scriptæ, quo debetur liberis, & parentibus; & sic cum æquiparentur secundum generalem decisionem d. l. omni modo, hos omnes comprehendere: quem text. ante ipsum expendit Roder. Suarez in d. l. quoniam in prioribus, in vers. neque obstat argumentum. Denique hanc partem veriore etiam putat novissimè Hieronymus de Cævallos practicarum communium, quest. 566. ex num. 7. Angel. Matheacius de legat. & fideicommissis lib. 4. cap. 9. num. 8. & omnes duobus præcipue fundamentis moventur.

Primum deducitur ex verbis d. leg. omni modo, C. de inofficioso testamento, ibi: Certa & statuta lege tam mortuis consulere volentes, quam eorum liberis, vel aliis personis, quibus eadem actio competere poterat, &c. & ibi: Licet verò his personis, quæ testamentum quasi inofficiosum, vel alio modo subvertendum queri poterant, id quod minus portione legitima sibi relictum est, ad implendam eam sine ullo gravamine, vel mora exigere, &c.

Secundum fundamentum ab absurdo vitando deducitur: quia si probaremus fratrem posse testamentum per querelam inofficiosi subvertere, & expugnare, melioris utique conditionis esset frater ipse, quam revera esset filius, qui si quid jure institutionis habeat, testamentum inofficiosum dicere nequit, sed ad supplementum legitimæ portionis tantum agit, ex text. in d. c. l. omni modo: quod maximum absurdum esset, igitur non probandum, l. divorzio, in princ. ubi Jason in §. notabili, ff. soluto matrimonio, l. scire, §. aliud, ubi Baldus in ult. notabili, ff. de excusationibus tutorum: quibus tamen fundamentis, ut dixi supra, exproposito satisfacit Anton. Galeat. Malvassia in cons. 24. ex n. 63. cum tribus segg. sic ut negari non possit, quin hac in re maxima difficultas sit, ut etiam constet ex his, quæ scripsit Matheacius, ubi supra, d. cap. 9. ex num. 4.

Quapropter, ut eam apertius explicaret, tres casus in proposito distinguit Julius Clarus §. testamentum, q. 50. Primus

Primus casus est, cum in testamento, in quo turpis persona est instituta, nihil relictum est fratri; & tunc per querelam rumpit testamentum in totum.

Secundus casus est, cum aliquid reliquit frater fratri, sed non titulo institutionis; & tunc inquit Julius Clarus, quod frater pariter rumpit in totum, ad exemplum descendantium: & reddit rationem, quia licet regulariter in collateralibus non sit necessarius titulus institutionis, neque eis aliqua Legitima debeatur; est tamen speciale, quando turpis persona est instituta, quia eis debetur Legitima: & consequenter, quod non est impertinens dicere, quod talis Legitima sit eis relicta titulo institutionis, & quod ita procedat opinio Guil. de Cun. quam ipse sequitur.

Tertius casus est, quando frater institutæ turpi personæ, reliquit titulo institutionis, sed minus Legitimam; & tunc procedit opinio secunda Angelij, & sequacium, de qua supra: dicit tamen cogitandum esse, & omittit quartum, & necessarium casum, quando scilicet integra

22 Legitima titulo institutionis, vel legati relinquatur. In primo autem casu, Julij Clari sententiam amplectitur Grassus in d. c. §. testamentum, quest. 46. num. 4. in principio. In secundo verò & tertio improbat eum ibidem, num. 5. dicens indistinctè tenendum, quod in utroque casu ad supplementum duntaxat sit agendum, & probans eum Emman. Suarez, Antonij Gomezij Additionatore, relictæ titulum, dicit nullam differentiam in proposito facturam, nec distingui debere an titulo institutionis, vel titulo particulari Legitima, aut pars ejus relictæ sit. Sed in prædictis etiam duobus casibus, hoc est, secundo & tertio, an scilicet relictum sit aliquid titulo institutionis, vel titulo tantum particulari, Clarum videtur sequi, & præfatam differentiam admittere, quamvis in ea firmiter non insistat, Joannes Vinc.

23 Honded. in cons. 47. num. 34. volum. 2. Hieronymus verò de Cævallos, qui, ut vides, novissimè omnium quæstionem superiore tractavit, d. c. qu. 566. prædictorum nullam mentionem facit, nec de veritate distinctionis Clari disputationem suscipit, nec etiam refert Authores quamplurimos, superius à me relatos. Idcirco, ut ego sententiam meam interponam, nonnulla constituere necessarium duxi, quibus præfata quæstio non adeo dubia videbitur, imò distinctio, & resolutione majori, quam antea erat, explicata manebit.

24 Et in primis constituo, quod si frater institutæ turpi personæ à fratre suo, præteritus fuit, vel exheredatus, nec aliquid ei in testamento relictum est; tunc per querelam rumpit testamentum in totum, ut in universam ejus substantiam succedat: idque ex sententia Bildi, in d. c. l. fratres, C. de inofficioso testamento, num. 8. Julonis ibidem, num. 16. in qua conveniunt omnes, ut scribit Grassus §. testamentum, quest. 46. num. 4. in principio, & tenent Julius Clarus in eodem §. quest. 50. num. 5. in vers. aut in testamento. Afflictis d. decis. 204. num. 2. & 3. & ibi Urtilius in addit. num. 1. 4. Joannes Vincentius Honded. in cons. 47. numero 34. lib. 2. & in hoc casu loquuntur Menchaca de successio- num creatione, lib. 1. §. 10. num. 586. Anton. Gomezium tom. 1. variarum, cap. 11. nu. 37. vers. Quanto intellige, dum dicunt, quod testamentum debet rumpi in totum, & non pro parte, vel non usque ad Legitimam tantum, cum instituta est turpis persona. In eodem etiam casu loquitur apertè d. c. l. 12. tit. 7. part. 6. ut constat ex illis verbis: Et dezimos que el un hermano desheredado al otro con razon, e sin razon. E así que non fiziesse mencion del en el testamento, puede de jure siso à quien quisiere, quando non oviere hijos nin otros que descendiesen del de la línea derecha, nin padre, nin abuelos, fueras ende si estableciesse por sí heredero à tal home, que fuesse de mala vida, o enfermedo, ante dezimos, que el hermano puede que brantar el testamento, e aver la heredad de su hermano. Et sic in prædicto casu approbatur ibi opinio Guil. de Cun. ut non solum revocetur testamentum per querelam quoad Leg-

25

gitimam fratri debitam, sed etiam quoad omnia bona, ut rectè intellexit Gregorius Lopez, verbo, la heredad, ibidem, ut dixi supra nu. 18. idè Gregorius ipse statim movere dubium; Quid si aliquid fuit fratri relictum, quasi sentiens expresse, loqui eam legem duntaxat in casu prædicto, quando fratri præterito, vel exheredato nihil in testamento relictum fuit. Idem etiam in casu superiori apertè præsentit Angelus Matheacius de legat. & fideicommissis, lib. 4. cap. 9. num. 8. & jus Digestorum à jure Codicis optime distinguit.

Secundo constituo, quod si frater institutæ turpi personæ, neque præteritus fratrem, neque etiam exheredavit illum, imò potius titulo institutionis, aut titulo etiam particulari (in hoc differentia non est) integram Legitimam, hoc est, quartam partem ei reliquit; tunc fratris querela non competit ullo modo, quia non est in hoc casu, cur frater ipse conqueri debeat, quippe cum Legitima integra ei relictæ fuerit, ad quod tantum tenetur frater, cum turpem personam hæredem instituit, §. 1. cum Glossa, in Authent. de hæredibus & falcidia, ubi apertè datur intelligi, quod in relicto ad libitum potest frater disponere, etiam turpi personæ hærede instituta, ex quo ad relinquendam fratribus Legitimam, hoc casu lex cogit fratres; aliàs vana esset dispositio, & supervacuum relictum Legitimæ, ut inquit Cagnolus, quem statim referam, si nihilominus posset frater in totum testamentum rescindere: & dicendum esset, totam substantiam esse fratribus eo casu relinquendam, non Legitimam tantum; & hunc casum unanimiter admittunt omnes Authores præcitati supra, num. 19. qui, ut jam vidi, etiam in fortioribus terminis, quando non integra Legitima relictæ fuit fratri, id probarunt, & agendi ad supplementum jus duntaxat concesserunt. Deinde in terminis nostris sic tenet superiorum resolutionem Alexand. in leg. si patroni, in §. finali, in ultima columna, ff. ad Trebell. sequitur Cagnolus dicens, quod rationi prædictæ non videt dari posse responsum in l. 1. ff. de inofficioso testamento, num. 11. Menchaca de successio- num creatione, lib. 1. §. 10. nu. 601. Grassus §. testamentum, questione 46. num. 4. & cum multis firmiter sustinet hunc casum Ant. Theaurus dec. 128. n. 11. & ante ipsos hoc dicit Salicet. in d. l. fratres, C. de inofficioso testam. in 3. qu. principali, qui quamvis sequus sit Guill. de Cun. sententiam relata supra, num. 16. tamen discrepat ab eo, ubi frater Quartam integram reliquisset fratri suo, dicens quod tunc non competeret querela fratri, institutæ turpi personæ: & in eum sensum rectè citat Salicetum, & sequitur eum Rodericus Suarez in d. l. quoniam in prioribus, in princ. n. 12. fol. 4. in vers. in uno discrepat. Nec distinguunt ij omnes, an titulo legati, vel titulo institutionis Quarta relictæ sit, quasi sententia manifestè, sufficere, quod Legitima quocunque modo relictæ fuerit; & ita tenendum est ex dictis Authoribus, & verbis d. l. 12. tit. 7. part. 6. quæ loquitur duntaxat, 27 quando frater præteritus fuit, vel exheredatus, ut tunc rumpatur testamentum in totum, non verò in isto casu, cum integra Legitima fratri relictæ fuit; & sic ad eum trahi non debet, juxta vulgata juris principia, & communes traditiones Doctorum, quamvis contrarium in 28 casu prædicto, sed malè quidem, tenuerint omnes, qui Guil. de Cun. sententiam amplexi sunt, ut constat ex relatis supra nu. 16. & per Ant. Theaurum d. decis. 128. nu. 12. & inter alios sic expresse, sed malè, ut dixi, firmarunt Ant. Gomezium tom. 1. variarum, cap. 11. n. 37. vers. Sexto intellige, Rubens in leg. Titia, §. Imperator, n. 287. ff. de legatis 2. Ant. Galeatius Malvassia in cons. 24. n. 31. & n. 63. & segg. volum. 1. quorum sententia clarè convincitur ex his, quæ hujusce nostre resolutionis sequaces notarunt, ac inter alios Rodericus Suarez, Cagnolus, Grassus, & Theaurus in locis relatis supra, Matheacius lib. 4. d. c. cap. 9. n. 8.

Tertio constituo, quod si frater institutæ turpi personæ, fratri præterito, vel exheredato, hoc est, hæredi non instituto aliquid reliquit, sed minus Legitimam, titulo

tulo tamen institutionis; tunc equidem duntaxat competere ei jus agendi ad supplementum, nec querelare posse testamentum fratris: quod fatetur Julius Clarus *dist. §. testamentum. quest. 50. num. 3. in finalibus verbis*, dicens sic procedere opinionem Angeli, & sequacium, contra Guil. de Cun. & sequaces ejus; & in hoc libenter sequor prædictum Authorem, propter rationes communis sententiæ, & auctoritatem eorum, quos retuli *suprà, num. 19.* & per text. in *d. leg. omni modo* & in *dict. authent. de hæredibus & falcidia, §. 1. collat. 1.* qui in hoc cavillari non possunt, quamvis contrà, sed malè quidem, tenuerint in hoc casu Anton. Gomezius, Rubens, Ant. Galeat. Malvass. & cæteri alij adducti in *secundo casu, supra*, qui, ut vidisti, in fortioribus terminis contrarium defendunt.

30 Quartò constituo, quòd si frater institutà turpi personà, fratri præterito, vel exheredato, hoc est, hæredi non instituto reliquit aliquid, sed non titulo institutionis, succedere tunc contrarietatem Guil. de Cun. & sequacium ejus, & Angeli, ac sequacium ejusdem, & sic diversitatem primæ, & secundæ opinionis, quas adduxi *suprà, num. 16. & num. 19.* in qua tamen Jul. Clarus *dist. §. testamentum, quest. 50. num. 3. in vers. aut reliquit aliquid*, Guil. sententiam amplectitur, & exultat, in hoc casu fratrem rumpere debere testamentum in totum, ad exemplum descendendum. Grassius autem *receptorum sententiarum, §. testamentum, quest. 46. num. 4.* contrarium defendit, & in prædicto casu, jus agendi ad supplementum duntaxat fratri concedit, ac cum Emman. Suar. Antonij Gomezij Additionatore, quem *ibidem* refert, probabilius credit, relictū titulum, nullam differentiam in eo facturum. Ego verò in praxi omninò credere servandam Emman. Suar. & Grassii sententiam, nec constituendam differentiam, quo titulo relictum sit factum, dummodò verum sit, aliquid relictum fuisse fratri.

Moveor in primis auctoritate quamplurimorum, quos retuli *suprà, num. 19.* qui etiam in hoc casu concedunt duntaxat jus agendi ad supplementum: nec distinguunt, quo titulo relictum fuerit aliquid fratri, institutà turpi personà

Secundò per textum in *dict. l. omni modo, C. de inofficioso testamento*, qui nullam cavillationem admittit, ut dicit Antonius Thesaurus *d. decis. 128. num. 11. in fine*.

Tertiò, quia negari non potest, quin diversa sit causa fratrum, & descendendum, quippe cum fratribus nec Legitima debeat, nec sit necessarius titulus institutionis: & quando turpis persona est instituta, licet eis Legitima debeat, ut dicebam *suprà*; tamen nullibi expressum est, quòd talis Legitima sit relinquenda titulo institutionis: unde non concludit Julij Clari ratio, nempe quòd non sit impertinens dicere, quòd titulo institutionis debeat Legitima relinqui in eo casu: quia imò impertinens est, & à mente legis alienum, ut non obscure colligi valet ex *l. 12. tit. 7. partita 6.* quæ si mature perpendatur, ex ea colligetur aperte, eo duntaxat casu subverti testamentum à fratre, & per eum integram hæreditatem advocari, quando institutà turpi personà, frater ipse præteritus est, vel exheredatus, nihilo eidem relicto: cum verò aliquid relictum est, nihil lex illa decidit, nec loquitur in hoc casu; denotat potius, in alio casu, ultra positum ibi, testamentum non subvertendum, sed duntaxat ad supplementum agendum, ut *ibidem* notavit Gregorius Lopez *verbo*, la heredad, in *vers. sic. quid si aliquid*, & coadjuvatur ex his, quæ resolvit Menchaca *de successione creatione, lib. 1. §. 10. num. 583. in vers. 4.* & fortius, ubi dicit, quòd vera, & communis opinio est, quòd titulus institutionis non requiratur in Legitima fratrum, & se remittit ad alium locum, quo latius id tractavit: coadjuvatur deniq; ex his, quæ mature & cum judicio observavit in hac materia Angelus Matheacius *de legat. & fidei commiss. lib. 4. cap. 9. num. 8.* ubi, ut antea dicebam, jus Digestorum à jure Codicis optime distinguit, & in effectu dicit, quòd Digestorum

jure, si tota Legitima fuisset relicta, tunc etiam turpi hærede, scripto, inofficiosi agere poterat: si verò quid minus Legitimà, vel nihil relictum fuisset, fratres utriusque & liberi frangebant in officiosa testamentis; jure verò Codicis, aut tota Legitima legata fuit, & nemo inofficiosi agere potest, nec tunc frater ipse, turpi quoque hærede scripto: aut quid minus Legitimà relictum fuit, & tunc nec etiam frater rumpere potest testamentum fratris, sed tantum petere supplementum Legitimæ, firmo manente testamento.

31 Quintò constituo, quòd in omnibus casibus, in quibus dictum est, quòd fratri competit jus agendi ad supplementum duntaxat, vel Legitimà tantum, hoc est, quarta parte bonorum debet esse contentus, in his omnibus non tenetur ad legata pro quarta parte: Ratio est, quia turpi personà hærede scriptà, fratri debetur Legitima, quæ est quarta pars; & sic debetur illi absque onere, ex vulgatis juribus, quæ adducit, & latius probat Afflicti *decis. 125. per totam*, dicens in *finalibus verbis*, votatum fuisse in Senatu, quòd legatum alimentorum factum quibusdam solvatur integrè per hæredes scriptos, & nihil contribuat foror illa, quæ dixit testamentum fratris inofficiosum, quia in eo fuit instituta turpis persona.

Sextò & ultimò constituo, dubium maximum esse, an si frater rumpat testamentum fratris per querelam, quia in eo fuit instituta turpis persona, teneatur ad omnia legata, & fideicommissa etiam universalia relicta in testamento fratris: & sic an text. in *authent. ex causa, C. de liberis præteritis*, habeat locum etiam inter fratres, institutà turpi personà? Et certè dubia est, & difficilis hæc quæstio, quam propterea egere decisione, & præsentia Principis dixit Salicetus in *dict. leg. fratres, C. de inofficioso testamento, in 4. quest.* & arduam vocat Julius Clarus, ut refert Antonius Thesaurus *decis. Pedemontana 128. num. 6.* dicens multas fuisse in explicatione illius Authenticæ Doctorum opiniones, & eas retulisse P. Jacob. in *dict. authent. ex causa, & Fulgosium ibidem, nu. 25. & 26.* Sed in terminis nostris, quòd non habeat

33 locum dispositio dictæ Authenticæ, sed quòd simul cum institutione omnia corruant, tenuerunt Angelus, Jacob. de Aren. Petrus, Cinus, Paulus, Francisc. de Rampon. Imola, Alexander, & Jason, quos in unum concessit Menchaca *de successione creatione, lib. 1. §. 10. nu. 580. & §. 581.* qui dicit hanc esse communem opinionem secundum Jasonem, Paul. & Alexand. & tenendam secundum eum. Decius in *leg. liberi, num. 13. de bonorum possessione contra tabulas*. Petr. Jac. Ruinus, Rolandus, Jacobinus, & Afflicti, quos retulit Antonius Thesaurus *d. decis. 128. nu. 6.* Corneus in *authent. ex causa, sub num. 3.* Mantica in *consil. 199.* Rubens in *l. Titia, §. Imperator, nu. 62. & nu. 176. de legatis 2.* Ant. Galeat. de Malvass. in *consil. 24. num. 70. volum. 1.* Joannes Vincentius Honded. in *consil. 47. num. 37. volum. 2.* Ac denique hujus

35 partis fundamenta omnia adducunt Salicetus, in *dict. l. fratres, in 4. quest. principali*, & ibidem Jason *n. 3. & 4.* Menchaca *d. §. 10. num. 581. & nu. 582. in vers. tamen communis opinio*, a quibus accipiunt alij postmodum Scribentes, & contrariæ partis rationibus respondet Antonius Galeatius Malvassia *d. consil. 24. num. 71. & §. 72.* & post leges Partitarum, sive in terminis etiam earum, amplectuntur eandem sententiam Gregorius Lopez in *l. 12. tit. 7. partita 6. in verbo*, el testamento, *versicul. an autem rupto*, dicens, quòd *d. authent. ex causa*, non habet locum in fratribus, institutà turpi personà, & ad id bene facere text. in *l. finali, tit. 8. part. 6.* ubi Gregorius ipse *verbo*, el fijo, idem probavit Hieronymus de Cævallos *practicarum communium, q. 566.* qui dicit hanc esse communem sententiam, & juxta eam hodie sancitum in *d. l. finali, tit. 8. partita 6.*

36 Sed contrariam opinionem, imò decisionem text. in *dict. authent. ex causa, C. de liberis præteritis*, habere locum inter fratres, institutà turpi personà, tenent Bald. in *dict. l. fratres, C. de inofficioso testamento, in 3. quest.* Curtius

Curtius junior *ibidem*, num. 75. Cagnolus *num. 87. in fine*, & num. 88. Joannes Faber *n. 5.* & omnium latissime Joannes Igneus in *repetitione illius authent. num. 59. in versiculo*, ego autem dico. Grassius, & Craveta, quos refert Antonius Thesaurus *d. decis. 128. n. 7.* dicens sibi videri, quòd hæc opinio in judiciis est sequenda, cum sit æquior, & humanior, & eam constanter defendens Julius Clarus *§. testamentum quest. 52. num. 5.* ubi dicit, quòd opinio præcedens semper visa fuit sibi terribilis, & si casus contingeret in facto, quòd non peccaret mortaliter Judex, qui judicaret contra eam.

39 Et hujus partis fundamenta quatuor, post Salicetum adducit Jason in *d. l. fratres, num. 3. in versiculo*, adde quòd contrarium tenet Baldus, usque ad *versiculum in contrarium*, & vide num. 4. in *versiculo*, si velis tenere, usque ad *versiculum*, Tenes communem sententiam, ubi in effectu, & verè quidem, atque concludenter, licet ipse contrarium teneat cum Communi, respondet omnibus fundamentis contrariæ partis relaxat *suprà, n. 33.* præcipuo etiam fundamento Communis respondet Julius Clarus *d. q. 52. n. 5.* & Menchaca *d. §. 10. n. 582.*

41 licet contrarium tueatur, ut *suprà* vidimus; jura etiam & rationes per multas pro hac parte consideravit Igneus in *dict. authent. ex causa, n. 59. versiculo*, ego autem dico, & concludentem, novamque tradit Thesaurus, & præcipue rationi Communis respondet *d. decis. 128. n. 8. & 9.* Quæ equidem rationes adeo me movent, ut secundam hanc sententiam contra Communem libentius probaverim excitatus in primis prædictis quatuor fundamentis Jasonis quæ fortissime urgent. Secundò juribus, & rationibus Ignei; & Thesauri *suprà*, quæ etiam non mediocriter juvant hanc partem. Tertiò, propter solutiones, quas ad rationes contrariæ partis tradiderunt Jason, Menchaca, Clarus & Thesaurus, quæ juxta rationem juris procedunt: & verè negari non potest quin in correctoriis fiat extensio, quando alias resularet absurdum, vel quod verba *d. authent. ex causa*, generalia sint, & absque ulla extensione comprehendant hunc casum, ut advertit Julius Clarus *ubi supra*, quia ubi est major ratio, ibi ex vi comprehensivæ eadem cautum esse intelligitur: ergo si rescisso ex causa præteritionis, vel exheredationis testamento, conservantur legata adversus liberos, & parentes querelam inofficiosi testamenti moventes, multò magis, faciliusque conservabuntur adversus fratres. Deinde, quia casus prædictus ommissus est in *dict. authent.* ut ex verbis ejus constat aperte; tamen ipse dispositio non ideò excludi debet adversus fratres, sed potius pro expressa haberi, propter rationes prædictorum Authorem, maxime ob rationem Thesauri *d. decis. 128. n. 8. in principio*. Ac denique, quòd text. in *dict. l. fratres*, licet odio turpis personæ sic dispositus, ejus tamè odio non debent alij sic gravari, ut beneficium amittant: quòd etiam adversus liberos, & parentes est institutum, eò maxime, quòd conclusio illa, ut in correctoriis non admittatur extensio, non est sine controversia, & multi attestantur communem opinionem esse in contrarium; aut saltem negari non potest, quòd ipsa multas habeat limitationes, & declarationes, quæ ad propositum nostrum accommodatæ communis sententiæ fundamentum subvertunt, ut constat ex his, quæ scripserunt Doctores in *authent. quas actiones, C. de sacrosanctis Ecclesiis, & in l. si vero, §. de viro, & in l. si constante, ff. soluto matrimonio*. Gratianus *regula 111. per totam*. Camillus Gallinius *de verborum significatione, l. 6. cap. 6. num. 11. & cap. 14. per totum*.

44 Ex quibus etiam constat aperte, quòd text. in *dict. l. finali, tit. 8. partita 6.* verè non facit pro opinione Angeli, & sequacium, relaxat *suprà, num. 33.* quicquid aliter dicat Gregorius Lopez, quem retuli *suprà, num. 37.* nec etiam juxta opinionem ejusdem Angeli sancitum in ea lege, ut malè quidem existimavit Hieronymus de Cævallos, quem *ibidem* citavi, propterea quòd nihil in proposito statuitur ibi, nec juri communi aliquid additur, sed duntaxat jus comune confirmatur, & dicitur, quòd Joan. del Casillo *Quotid. Controv. Juris, Tom. II.*

rupto testamento ex causa præteritionis, vel exheredationis, annullatur testamentum quoad institutionem; legata tamen, & libertates valida remanent, ut in *dict. authent. ex causa*, fuerat statutum; unde qua ratione dixi de jure communi, Baldi sententiam tenendam contra sententiam Angeli, & sequacium, ipsà etiam, & de jure Partitarum idem assero, cum eo jure attento, si consimiliter rationes omnes, quas præfati Authores considerant, sicut in terminis juris ipsius communis urgebant, & erit hodie magis certum ex generali decisione 45 *l. r. tit. 4. de los testamentos, lib. 5. nova collectionis Regia, junctis his, quæ in ejus legis explicatione observavit Tellus Fernandez in l. 3. Tawri, 4. part. n. 18. & n. 21.* dicens, regulariter observandum, quòd ubicumque testamentum annullatur, quia in institutione peccavit, prout in nostro casu contingit, duntaxat haberi pro non facta institutionem, cætera verò remanere firma, quamvis Azevedius *ibi num. 179.* non audeat firmare: Et hæc tenent de præfata quæstione.

46 Nunc verò tertio loco, & principaliter constitutum est, dubitari etiam communiter, quæ dicantur in proposito personæ infames, turpes, vel inhonestæ, ut eis institutis, possit frater querelare testamentum fratris? Et text. in *dict. l. fratres, C. de inofficioso testamento*, dubium diluit, in hunc modum scribens: *Si scripti hæredes, infamie, vel turpitudinis, vel levis notæ macula aspergantur, &c.* & in *l. 12. tit. 7. part. 6.* dicitur: *Si est abiectione per su hæredero à tal home, quòd fuisse de mala vida o enfamado*, & ibi Gregorius Lopez, *verbo*, de mala vida, late explicat, quæ dicantur in proposito turpes personæ: Jason in *dict. l. fratres, num. 10. 11. & §. 12. Gama decis. 143.* & Additionator ejus *ibidem*, Menchaca *de successione creatione, lib. 1. §. 10. n. 569. & quatuor. seqq. & n. 608.* ubi dicit, quòd hæc conclusio intelligitur multipliciter. Primò, si persona instituta sit infamis de jure & de facto. Secundò, etiam si sit infamis de facto tantum. Tertiò, etiam si nec sit infamis de jure, nec de facto, sed tantum sit turpis ejusque testus, & modus vivendi. Quartò, etiam si nec sit infamis de jure, nec de facto, nec etiam habeat turpem modum vivendi, si tamen est homo sinistra, aut male opinionis.

47 Antonius Gomezius *tom. 1. variar. cap. 11. num. 38. per totum*, ubi late declarat, & in fine constituit, Judicis arbitrio relinqui, quæ dicatur turpis persona, vel non, & dicit ita tenuisse solum Fabrum in *§. foror, col. 2. in medio Institut. de inofficioso testam.* & reputat unicum, & singulare in ista materia. Addiderim ego, arbitrium hoc non ita liberum esse debere, ut Gomezius supponit, imò potius regulari debere juxta rationem, & verba *dict. l. fratres, & §. 12. partite*, communefque Doctorum omnium Scribentium resolutiones: nec verum esse, quòd tradit ipse Gomezius, certam scilicet regulam, aut doctrinam in hoc dari non posse, nam imò dari potest certa regula ex decisione, & verbis *dict. l. fratres*, quamvis verum sit regulæ ejus executionem, discreti Judicis declarationi, aut arbitrio relinqui; & hoc obiter dictum: redeundum tamen ad propositum, scribunt etiam Quædam *diversarum questionum juris cap. 6. n. 11.* Simon de Præcis *de interpretatione ultimarum volunt. lib. 5. dubitatione 1. n. 69. & 70. fol. 443.* Grassius *§. testamentum, quest. 46.* Alvarus Valascus *consultatione 17. per totam*. Plotius *de in litem jurando, §. 49. num. 12.* Guill. Benedic. in *cap. Rainuncius, de testamentis, verbo*, Rainuncius de Clera, *num. 28.* Antonius Thesaurus *decisione Pedemontana 126. n. 4.* optime Joannes Vincentius Honded. in *consil. 47. ex n. 11.* usque ad *num. 29. vol. 2.* qui cum aliis rectè advertit, quòd cum text. in *d. l. fratres, C. de inofficioso testamento*, loquatur alternative, sufficit quòd una qualitas ex illis tribus occurrat in hærede scripto, & sic, vel quòd sit infamis vel turpis persona, aut levi macula notetur; ut etiam advertit Antonius Galeatius Malvassia in *consil. 24. n. 32. & tribus seqq. & num. 55. & §. seq. vol. 1.* ubi dicit, quòd infamis infamia facti dicitur ille, cujus opinio apud prodos viros